

magnum triremium numerum, complures ad mille circiter equos transvehendos hippagogæ erant. Insequenti die peditum, atque equitum exscensionem in terram Chariadenus molitur, ut undequaque ferro, atque igne agros vastaret, ac diriperet. Incolis cum valida Acrocerauniæ gentis manu arcere a litoribus hostes adnitentibus, atrox pugna initur; utrinque multi cadunt: tandem numero potior hostis, exscensione facta, passim in cunctos mortales defævit; agros, & villas diuturna pace ad luxum usque ædificatas, immixtis facibus, incendit; universum insulæ adspectum, cunctis evulsis arboribus, atque olivetis, quæ ingenti numero haud mediocres olei proventus edunt, incis, deformavit. Ad Reipublicæ magistratus Chariadenus literas mittit, quibus significat: Suleimanum cum toto exercitu propediem ad insulam oppugnandam venturum, adversus hyemis asperitatem, ceteraque incommoda certaturum, neque prius quam urbe, ac tota insula potiretur, discessurum: hortari proinde præfectos, ut suæ, incolarumque salutem consulerent; neque potentissimi Imperatoris supremos conatus experi-ri vellent. Corciræ tunc præerant Simon Leonus, atque Aloysius Ripa; ille magistratus, quem *Bailum* vocant, hic vero legati munere fungebatur, qui summa virtute, atque animi ardore ad insulam tutandam se comparaverant, Senatumque ad certam spem prosperi eventus erexerant. Namque oppido universa insula nitebatur, quod & loci natura, & incomparabili arte egregie instructum, ac munitum, ad ingentes impetus hostium excipiendos, & sustinendos inexpugnabile censebatur. In eo præsidarii milites mille ac quingenti externi, totidemque oppidani aderant; ad hæc quatuor triremium remiges a transtris in arcem vocati. Nam Pefareus imperator quatuor trierarchos, qui insulam tuerentur, reliquerat: ex iis Nicolaus Semiteculus oppidi portæ, tormentisque bellicis Aloysius Sanutus præficiuntur; Zachariæ Barbaro commeatum cura traditur; triremes in Euripum demittuntur eo consilio, ut potius, quam in hostium potestatem concederent, demergerentur; annonæ in tres annos superesse in arce dicebatur. Universæ militiæ Jacobus Novellus rerum militarium usu præstans præerat; qui cum per eos dies morbo correptus obiisset, in ejus locum Babo Naldius præfectus, egregia in Rempublicam fide,

1537

*Corcyre in-
sula dire-
prio.*

*Chariadeni
literæ ad
Corcyre
præfectos.*

*Simon Leo-
nus & Aloy-
sius Ripa
Corcyre
præfecti.*

*Veneri tri-
rarchi a Pe-
fareo ad
Corcyram
relikti.*